Krokowski Petri Hyacinthi: Hecatomba inter seraphicos ignes coelo gratissima.

HECATOMBE

Inter Seraphicos Ignes

CÆLO GRATISSIMA

DIVUS

BONAVENTURA,

DOCTOR SERAPHICVS,

S. R. E. CARDINALIS,

ARCHIEPISCOPVS ALBANENSIS,

Annuâ Suæ Festivitatis recurrente die

In Sacris Ædibus

D. FRANCISCI

Celeberrimi Conventûs Cracoviensis,

Magnæ Magnorum Hospitum Coronæ

Officiosâ Panegyri

A

M. PETRO HYACINTHO KROKOWSKI

In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore & Professore

DEMONSTRATUS.

Annô quô

Agnus Cælestis pro salute humana in victimam venit 1729. die 14ta Iulij.

CRACOVIÆ Typis Iacobi Matyaszkiewicz S. R. M. Typog:

In Gentilitium Stemma ILLVSTRISSIMÆ DOMVS.



Fert Roſa ſplendorem, fert lucem Clavis avita,
Illuſtri nexu colligit omne Decus.
Candor Ei nitidus, Tyrios ſed ſpargit Honores;
Auratæ Clavi gemmea cuncta patent.
Hinc Roſa quod fundit, quod Clavis pandit in Orbem
Æternis Faſtis Struthea Penna notat.

JLLVSTRISSIMO
&
MAGNIFICO DOMINO
D. JOSEPHO
JN MICHAŁOW
MICHAŁOWSKI
SVBDAPIFERO PALATINATVS
VICE-CAPITANEO & IVDICI Castri Crac:
DOMINO ac MECÆNATI
Amplissimo.

ARam Sanctior Hecatombe Divinissimus BONAVENTVRA Seraphicus Doctor ut intra Magnæ Domûs Tuæ augustos Postes habeat erectam, non dedignare ILLVSTRISSIME MECÆNAS. Templum Honoris Tua Domus est, sed nō minùs Templū Virtutis, ac illud Pantheon qvod ut magni Viri semideiq; Heróés, ita Divi Indigetes nunqvam non inhabitare volunt; ubi suas vident non profanari Virtutes, non minui Honorem sed augeri. Conspicio CLAVIM Gentilitiam, Hæc neque solùm publicum Patriæ pandit Ærarium sed & Divorum Ædes pandendi capacissima, In ROSAM frontis lumina verto; Hæc non duntaxat à Purpuris Tyroque tota, sed & à Martyrio Sangvine deco-

rem maximum aßumpſit. Roſinis à Romanis ROSA hæc originem du-
cit, primam plantationem debet PORAIO Sancti ADALBERTI Ar-
chiEpiſcopi Gneſnenſis & Martyris Fratri Germano. Servat ni-
tidum Candorem, quem in Patriam teſtatur. Pro maximis Purpu-
ris ſufficit ipſe Martyrius Sangvis, ſed ne ſit Illi laus ab Origine ſola,
ingentia decorum centifolia non definit explicare. Vna multas in Re-
gno Faſquè primas Familias exornat, & nunquam non in primam
gloriam cedit ILLVSTRISSIMÆ MICHAŁOVIANÆ DOMVI, ex
Qua quot prodeunt bellaces Animæ Viri, Omnes ſunt Sanctioris Themi-
dis Cultores, Martis genuina Propago, Omnes Patriæ Defenſores, boni
publici indefeſsi Atlantes. Aurum gemmaſquè non ſepiam fundere cala-
mus deberet, ſi Geminum NICOLAVM de Michałow MICHAŁO-
VIOS, Vnum Palatinum Sandomirienſem, Alterum Caſtellanum &
Capitaneum Cracovienſem; regnante IAGELLONE Supremum Re-
gni Exercituum Ducem dignavellet Panegyri celebrare, Erant illi duo
fulmina belli, nunquam Hoſtibus ſuſtinenda. Quas Victrices ex arena Bel-
lonæ colligebant palmas, eaſdem manipulo Iagellonico inſerebant, ut eſ-
ſet multâ gloriâ Triumphalis. ALBERTVM Caſtellanum Zavicho-
ſtenſem, VALENTINVM Palatinum Podlachiæ, STANISLAVM
Sub Iudicem Ravenſem dum nominat Poſteritas, quemlibet Triarium
noſcere debet, Cuiquè æs triplex circa pectus erat, pro Patria defendenda.
Capitulum Vratiſlavienſe ampla ſorte ſe ditatum cenſuit à FELICIA-
NO MICHAŁOVIO, Qui non unius tantùm Vratiſlaviæ, ſed totius
Poloniæ ingens fortuna fuit. Prodromo Suo Scipione in perennem glori-
am procedit Illuſtriſsimus PETROSIVS MICHAŁOWSKI Supremus
IOANNIS Ducis Maſoviæ Mareſchalcus, dum ultimam ex Illuſtriſsi-
ma Familia IASIENCZYKORVM Hæredißam in vitæ Sociam ducit,
Ejus Stemma CLAVIM ſuæ gentilitiæ jungit ROSÆ, taliquè unione multa
pretia conquirit. A Sereniſsimo Maſoviæ PRINCIPE tam gratijs
& Privilegijs, quàm ampliſsimis hæreditatibus donatus. Patuêre RO-
SÆ primi ſemper honorum Poſtes, patere intimiora cæperunt Conclavia,
quæ Clavis patentia facit. NICOLAVS de Michałow Dapifer Ra-
venſis, poſt Tribunus Cracovienſis, habet ſibi Tributariam gloriam im-
mortalem. IACOBVS Pocillátor Cracovienſis Filius erat Tonitrui,
dum in hoſtes tela triſulca tulit. IOANNES MICHAŁOWSKI Pala-
tinus Płocenſis magnîs ſuîs meritîs ut aßurgebat major, ita ſuâ peren-
ni nõ diminuitur famâ IOANNES Vexillifer, ANDREAS Dapifer in Pa-
latin: Maſoviæ Terræ Cernenſis, nõ ſibi ſed Patriæ cõmodis vixerunt. IO-
ANNES Dapifer, VALENTINVS Pincerna uterq; Cernenſis, men-
ſæ Iovis uterq; aſsidere dignus, qui (quòd ſatis ad gloriam erat) omni-
bus fuêre ad guſtum. GEORGIVS erat pluſquam Alexander
MI.

MICHAŁOWSKI *suâ Macedoniâ arctatus, in Lithvaniam migravit, novum sibi invenit Orbem quem fortes Viri ubiq; habent. Pedisequam ubiq; habuit fortunam, quia nullibi à virtute divisus. Sub Climate Lithvanico possessionibus auctus, eô ipsô augeri non cessat, quòd dignos reliqverit Successores* IACOBVS Pocillator Terræ Cernensis *facilè posthumam memoriam vivit, quam suis Heroicis extendit factis.* GASPAR *in Terra pariter* Cernensi, *honore* Vexillifer *militantem sibi gloriam habet. Amplior hic requireretur pagina, ut saltim sola caperet* MICHAŁOVIORVM *Nomina, eaq; valeat venerari.* MELCHIOR Tribunus LublinensisVice-Capitaneus & Iudex Cracoviensis, *quatuor vicibus ex Palatinatu Cracoviensi ad Iudicia Tribunalis Regni Iudex Deputatus, quæ verba & sententias locutus, erant ipsius Themidis Decreta. Præfuit unavice Tribunali Mareschalcus & Vnus totus Areopagus justitiæ potuit appellari: Ne totus sub legem fatorum abiret, vitam integram in* IACOBO & HYACINTHO *duxit, Ille* Tribunus Lublinensis, *post* Castellanus Becensis, *Hic* Capitaneus Krzepicensis. *Vterq; Magni* MELCHIORIS *Filii non minores.* IACOBVS *pro tunc* Tribunus Lublinensis *ex Palatinatu Cracoviensi.* HYACINTHVS *ex Palatinatu Masoviæ* Terra Rosanensi *ad Comitia Regni Generalia Varsaviæ* Nuntii *in sua elogia animant literas, qui proLiteris disertissimo ore perorârunt. Regni negotiorũ Defensores, etiã Regni ScholæVniversitatis Cracoviensis Iurium & Privilegiorum Protectores, Dignos laude Viros meritò vetat Musa mori, qvi pro Regijs Musis pro Domo Literarum fuerunt Oratores.* HYACINTHVS *cum* HELENA De Zurow DANIŁOWICZOWNA *junctus, etsi sine Prole decessit, habet inde fœcundam & facundam gloriam, quòd multoties ex Palatinatu Masoviæ pro Generalibus Regni Comitiis* Legatus, *indefessam bono publico navabat operam.* IACOBVS *quem jam innui* Castellanus Becensis VRSVLAM ILLUSTRISSIMI ADAMI KAZANOWSKI *Supremi Regni* MARESCHALCI *Neptim Germanam,* BARTHOLOMÆI KAZANOWSKI Castellani Zawichostensis *Filiam, dum sibi in lectissimam Consortem duxit, habet numerosum Gloriæ ex Illustrissima Sobole comitatum.* MARIANNA MICHAŁOWIA ILLUSTRISSIMO FRANCISCO KORYCINSKI Castellano Braclaviensi *in vitæ Sociam cessit & summos adauxit honores.* MELCHIOR NICOLAVS MICHAŁOWSKI Dapifer Terræ Rosanensis *Magnus Tuus Parens* ILLUSTRISSIME DOMINE *Plura elogia meretur, quàm calamus recensere sufficit. Multis vicibus ad Comitia Regni* Nuntius, *ad supremum* Tribunal Iudex Deputatus, *Patria ut semper fortunatas haberet vices, interiores adhibuit curas. Millenas sibi Panegyres posuit, sed omnibus major;* ALEXANDRAM De Czarnca STEPHANI CZARNIECKI Palatini Kijoviæ Supremi Exercituũ Ducis *Neptim*

Germanam, MARTINI CZARNIECKI Generalis Castrorum Metatoris *Filiam*, STEPHANI, STANISLAI CZARNIECKI Supremi Cãpestris Exercit: Regni Notarii *Sororẽ Germanã Patruelẽ*. STEPHANI CZARNIECKI Ensiferi Palatinatûs Cracovien: *Neptim, sat felici sibi copulavit nexu, ex quo Vnio Virorum æstimatissimus prodijsti*. NICOLAVS Canonicus Præmysliensis, & STEPHANVS *Fratres Tui Germani & si fatis cesserunt, agunt tamẽ immortalẽ vitã, famâ suâ Superstites. Illustrissimos Antecessores Tuos, ProAvos, Avos atq; Ipsos Progenitores Dignissimos recensui, Quorum laudes nunquam hæc exigua pagella capit. Non tamen hic absq; suis prætermittuntur elogijs, quoties Te innuere & venerari licet. Habet in Te suam auxesim Aborigenum Magnitudo, crescit non* IOSEPHI *duntaxat Nomine, sed & amplitudine meritorum. Insistis Prædecessorum vestigijs; sequi Tuam virtutem etiam Illis gloriosum. Succedanea è Domo Illustrissima Posteritas meliùs suos non metietur Antecessores, quàm è Tua Ipsius probitate, ac illa meritorum congerie, quam in Te geris concentratam. Teneriores ætatis Tuæ annos alios Palladi, alios dicâsti Gradivo, ob ingenij excellentiam, morum gravitatem & expeditam promptitudinem ubiq; non Tyro sed Veteranus fuisti. Plura agis pro Bono publico, quàm alij possunt cogitare. Ad Iudicia Tribunalis Regni Iudex Deputatus; quoties descendis, Themidem facis triumphare. Semel* Mareschalcus *Supremi Tribunalis, non nisi in partem Iustitiæ aliorum vota Tuo dirigebas Scipione, dum iterum secundò* Iudicem Deputatum *agebas, hoc primum apud Te semper fuit, ut justæ haberent victoriam Causæ. Supra Calamum est quomodo V*ice Capitaneus & Iudex Cracoviensis *Partium dirimis lites. Decreta statuis, quibûs hoc solum quod est æquum decernis. Quotquot Commissiones Tuam sub manum veniunt, aliter ab alto Tuo non expediuntur Iudicio, nisi ut suum unicuiquè reddatur. Propterea apud alios Tibi amor, apud alios reverentia, apud omnes maxima æstimatio. Veneror hic debio cultu* Illustrissimam THERESSIAM *ex* Malachoviis *Vitæ Tuæ dignissimam sociam Cui ob eximias dotes, Virtutes plurimas quorum Compendium est magnæ Panegyres debentur. Prætermitti quoque nequeunt ex quibus. Vobis magnis Parentibus solatium & delicium, Domui gloria crescit.* FRANCISCVS, CASIMIRVS, IOANNES, ANTONIVS. *Alij Domi ob teneriorem ætatem Parnassum colunt,* FRANCISCVS Craciæ Minervæ *Eam suam Indolem dicat, quâ magnorum est capacissimus. Inter sacratiores Vestas dum Aliæ vitali fruuntur aurâ;* LVDOVICA *præsens Oculis & Cordi Vestro, elegantiâ dotum Helenas superans, &* MARIANNA *utraquè Pulcheria, spes Domui manet. Et non mirum quòd tam egregia Proles* MICHALOVIANÆ *Gloriæ auxesis est; Pulchros Cayster cignos; non pastas angvibus producit ciconias. Hesperidum*

Virida-

Viridaria aurea non lingvam mordentia parturiunt poma, ex Iove na-sciuntur Apollines; Tibi quoq;, quia Illuſtriſsimo, *omne clariſsimum, omne laudabile meritò ſuccedaneum eſt. Ingentia Domûs Tuæ decora ipſe com-pendias, quæ fuerunt in Anteceßoribus, in Te relucent. Intra Do-mûs Tuæ Auguſtos Poſtes habent Illæ Familiæ Illuſtriſsimæ locum; quæ totam Poloniam ſummâ claritate implent, illuſtrant & decorant.* LESZCZYNSCII, POTOCCII, Duces ZBARASII, BOGDANSCII, WALEWSCII, KAZANOWSCII, KOCHANOWSCII, WIELOPOLSCII, KOMORO-WSCII, BIEYKOWSCII, CZARNIECCII, IABŁONO-WSCII, TARŁONES, KOWALSCII, BRANICCII, OSSOLINSCII, GRZYBOWSCII, DĘMBINSCII, KO-RYCINSCII, ZALESCII, SZEMBEKOVII, ZAŁĘ-SCII, WALISZEWSCII, MAIOWII, DANIŁOWI-CZOWII, POCIEIOWII, GOSŁAWSCII, RZESZO-WSCII, ZARANKOWII, TOMISŁAWSCII, PVNIN-SCII, KONARZEWSCII, KOBIERZYCCII, MASZO-WSCII, DVNINOWII, ROSTWOROWSCII, LIPSCII, OSTROWSCII, BŁĘDOWSCII, ŁVCZYCCII, TO-MICCII, RADZIĄTKOWSCII, KAMOCCII, KOBIEL-SCII. *Vlteriorem illumq; maximum Majorum Tuorum Syllabum dum recenſere intendo, Dodona menti hæret, in cujus veſtibulo ſicut ex quo-libet ligno Mercurium, aut Apollineâ manu dignas pharetras formare poſ-ſibile; ita in Tua* ILLVSTRISSIMA DOMO *quodlibet æviternæ glo-riæ inveniri idoneum; probatiſsimum eſt.* Exinde ILLVSTRISSIME DOMINE *cætera dotes Tuas concernentia merita ſub* ROSA *Gen-tilitia ſervo; agant Illa pro Domo ſua Oratorem pluſquam Tullium Ro-manum, per quæ Virtus Tua* Palatinatui Cracovienſi *nota eſt, anveri-*

ùs:

ùs: quanta Polonia, tanta patent prudentiæ Tuæ & ingentium qualitatum decoramenta. Gloria Tibi Domus est, & Tu Domui. Accedit Tuo Nomini ex Connexione Prosapiarum decor, & Illis ex Te Tuaq; Domo non minor accedit. Breviùs dicere sufficiat: tot splendores nexu Sanguinis dum ad Tuos deducuntur Postes; par est totum illuminare Orbem. Quare inter tot & tanta decora non desit Sanctiori Hecatombe Divinissimo BONAVENTURÆ sua Ara ILLVSTRISSIME DOMINE. *Ille Cœlestes in Domum Tuam conciliabit gratias & favores, ego felicissimos successus, longævam vitam & primos voveo Honores.* Magni Nominis.

Illustrissimæ ac Magnificæ
Dominationis Vestræ

Devinctissimus Cliens
& Servus
Author Operis.

ORATIO

HActenus adversîs incaligi-namur tenebrîs, noctesquè potiùs non dies vivimus; ut tandem melior aurora sere-nioris fortunæ nuntia sequa-tur, flammantes Sacrorum luce Divo-rum Aras comitemur AA. Vndiq; etenim tetrîs ac deformibûs terremur spectaculîs, di-râ præsagiorum conquassamur imagine, ita: ut unô quasi digitô à vitæ naufragio positi vi-deamur. Nil nobis promittitur fortunati; egestas non opes, mancipium non Libertas, Sagum non Toga, sortis tumulus non bono-rum cumulus, lethum non læta tempora, ve-rioris fortunæ scopum attingere non vide-mur, scopulîs adversitatum opprimendi.

Non tot Circe intoxicavit mortales poculô, nec tot Pandora de fatali pyxide effudit mala, quot ſubsecuturæ ſperantur infortuniorum tempeſtates. Impellimur ad infelices volvendos caſus, vela noſtra iniquioris fortunæ traduntur arbitrio. hinc Scyllam & malleum, illinc Charybdim & incudem timemus, utriùsq; mali miſerandas experiri vices aut cogimur, aut ſperamus. Cælorum Qvirites Carthagini noſtræ funeſtos præparant ignes, infenſi renaſcuntur Scipiadæ, iterùm vitalem induunt auram, ut communi bonô ſpoliemur. Sarmatica Ales gemmeîs apocalypſim gloriæ ſuæ ſi notaverat pennîs, nunc lethalibûs ſtipanda pænîs, hoſtilibûs implumanda pharetrîs, injuriæ noſtræ compos eſt. Furens Procyonis aſtrum Icarios pollicetur caſus, fulgidum ex maligno exitiale ſuſtulit caput, ut in fatalem nutaremus ruinam, ad cujus maleſanam lucem æſtus conſpicimus, lætũ fortunæ jubar in occaſu lugentes. Iliadem in nucleo ſervem: undiq; malorum cernimus indicia, majores cimmerijs palpamus tenebras, jam conjuratæ veniunt procellæ, quæ viritim miſeros incurrant mortales.

Sed

Sed ò ſpē noſtræ felicitatis! òhorrenda præſagia! ita ne jam Cælorum furor non miteſcet? minimè. Torquates à torque dici meruit, Saturnus eſt, quod ſe ſaturet annîs: Diviniſsimum BONAVENTVRAM exinde veneramur, quòd ſit probabile bonorum argumentum. Lambit flamma in cunis Aſcaniū, inde Auſonij Proceres ſalutem ominantur; Sacratiorem Myſtam dum Seraphici ambiunt Ignes, noſtræ quoq; felicitatis eſt. Die Iovis sua celebrat Solennia, ut Tonanti eripiat fulmina, ne hæc in cervicem vitæ noſtræ jaciantur. Supplices mortalium lachrymas Seraphicîs extingvit flammîs, ſpargìtq; dies meliore comâ, optatæ lætitiæ ſerenum inducendo. Seſe Superis offert, ut auferat diſcrimina à nobis. Ergo Hecatombe inter Seraphicos Ignes Cælo gratiſsima ulteriori Stylô demonſtrabitur. Priùs ad Aras Tuas victima cado Doctor Diviniſsime, dum Te Hecatomben nominare licuit, incultum eloquij genus ſit Tuo acceptabile Honori. Nec vos AA ad hanc Sacram Hecatomben devotas mentes & benevolam attentionem negate.

Nobilisſima Cælorum Hecatombe Divus *BONAVENTVRA* donec Spectatoris Oculi publica recipietur in ara; altâ mente repoſtos Sacrorum indagare Ritus non inglorium ducite AA. Eſt Dijs primus honor, eſt Deabus gloria compar, utrisq; ſolennior plauſus, quia æquè laudabilis. Supremam Tonantis Aram plurimæ condecorant Victimæ, hæc tamen illarum decentior, cui lucem frons aurata fundit. Iunonis Altaria dignô Sacrorum more hunc recipiunt colorem; qui ſtellis & lilijs candidis eſt vicinus. Delphicum Apollinem multi comitantur Honores, Illi non ſolus auroræ Præpes ſolenne delicium eſt: etiam in terris ſonipes votivos ſpirans naribûs ignes victima gratiſsima. Palladem ſine Matre miramur, non ſine plausu veneramur: decor Illi Claſſis, præſidium haſta, aciem quòq; ſcutîs ordinatam fortiores obarmant victimæ. Martis oſtia non ſemper hoſtili pinguntur ſangvine, digniùs humanîs onerantur hoſtijs. Bellici Steropum enſes non tam Vulcaniô renitent ictu, quàm votivîs radiant flammîs. Togati Qvirites feſtivô Sacrorum plauſu ſuum venerantur Alci-

dam

dam, generoso Triumphatori thuriferas ex-truunt pyras, monstrorum Domitori tenellum exponunt agnum; ad majorem votorum gratiam, & rubentia poma velociter gyrantur. Auget sacra piacula vocalior corvus, Latoniæ complacuit Dianæ, quia Phæbeius ales. Cererem jactabunda vetustas omni gratitudine colit: hæc frugibus arva vestiens, Solis decolorata æstu, meritò gemmeum in lacte candorem pro libamine servat. Sed quid mihi cum his est? fugio ementitô splendore coruscantes Aras, desero Apollinis Ignes, quibus fabula non veritas illustratur. In Minoritarum Asceterio Sacratiorem veneror Hecatomben Divinissimum BONAVENTVRAM. Primam Illius lucem umbratili sermone lustro, qvam sibi ex Hethruria capescit gloriosam. Balneoregium dignæ Cælîs Hostiæ natales explicat Aras, quô tam eggregiô partu Ioannes & Ritella gratiosi Parentes jam Superos conciliare videntur. BONAVENTVRÆ Nomine insignitur, ad suas natalium Ceras bonô gloriaturus eventu, exinde optimô; quòd sit Cælorum Hecatombe futurus. Scio Superis

lotîs manibûs immolari Victimas; BONAVENTVRA ut talis esset, Baptismalibus perfunditur Vndis, quæ ab Alto venerunt. Incolit Lucinæ gremium Sacratior Iuvenis, & ecce pessima fatorum rabies suam in Illum exasperat malitiam. Cælorum felicitati invidet, morbô de vita sufferendum satagens. Iam importuna Atropos vitalem dis-rumpit auram, Pæoniæ vires mortale filum si tardant, non retardant. Gemebunda Parens illos quorum arte laniatus eqvis revixit Hippolitus convocat Æsculapios, doctos quærit Podalyrios, sed inanis conatus est; plùs valet arte docta malum. Majores tamen circa sanandum Iuvenem adhibet curas, dum Minoritam venerata Franciscum, per Illum a Dijs BONAVENTVRÆ salutem exposcit impetrari. Immemor beneficij non vult esse: offert Filium Superis, natales Illius Ceras Seraphicis appositura Ignibus, quæ dignam Cælô exprimant Hecatôben. Ergo melioribûs Astrîs vota Parentum optatô coronantur eventu, pristinæ restituitur saluti, ut crescat acceptior Cælorum Hecatombe. Pietas Illi Nutricem egit Mu-

fas

ſas tandem diligenter coluit, & plurimùm profecit, qvia nihil profanum ſcivit. Cæleſti radiando Sapientiâ omnem lucem quæ virtutis non erat tenebras putavit. Hecatombe ut eſset, non tam maternô votô quàm voluntariè DEO ſacrificatur. Mundanos fugit ſplendores, pulchrius in umbris Religionis lumen habiturus. Ceruſsatam fallacis Orbis pompam indignabundô averſatur vultu, ratus in multitudine fluctuantium volutari potiùs, quàm ſoli Deo vacare. Se ſe de Mundo immundo celat, & Seraphico Cælo immolatur mundus, ad Illius Ignes gratiſsima Cælis Hecatombe arſurus. Subivit Sacræ Religionis ſilentium, ſuæ Sanctimoniæ famam effecit vocalem. Bona tibi elegiſti Dive BONAVENTVRA: in excelſis Sacrarijs jactabunda vetuſtas Dijs Victimas litabat, ut intenta ſua libaret; ſacratior Hecatombe es, in ſublimi Alverni monte jure meritò Virtutum thure adoleſcis. Adnumeratus ſyllabo Minoritarum, genuinam ſe ſe monſtravit Hecatomben, ùbi adinventæ in Sacratiſſima Franciſci Domo gloriæ innumera acceſsu reciprocô præclarè facto-

rum ſpecimina victimavit. Commentitios in phaleris verborum exoſſus ſplendores, fumantem Cleanthis lychnum Seraphicis admovit Ignibus, Iovem ſibi nactus eſt; ut Mercurius fieret, Alexandrum de Ales Profeſſorem, ſub quo Alite Ingenio, & ſublimi Mentis acumine ad illud conſummatæ ſapientiæ evolavit Culmen, quod raris attingere conceſsum. Victimæ variæ ſuperſtitioſis immolabantur Delubris; in Honorem ſolius triſulci Iovis præcipuè mactabatur Hecatombe: Divus BONAVENTVRA dum Sanctior Hecatombe eſt; ad thuricremam ſupremi Tonantis Dei Aram locatur, vt potè & fervore Divinô candens & innocentiâ candidus. Placebat Cælorum Ædibus ſvavis hujus Hecatombes odor, flammæ non ſic redolent Sabææ, ut Ille odorifera inter Seraphicos Ignes proferebat Thura Sanctitatis. Magnus Chriſtianæ Cybeles Myſta docuit alios imitari Corybantes Sacrificulos ſemper apertâ dormire pupillâ, ne Divûm cultus obſeretur. Septennis Ille in Regno Franciſcanæ Sapientiæ, & jam tantus, vt Pariſijs Magiſteriali fungi munere dignus extitiſset. Librum

Sen

Sententiarum Sensu pæné Divinô dum enucleabat, non verba sed Lilia & Rosas nulli Perseo calcandas in Galliarum Viridario locutus, quæ Illi in sertum triumphale florescebant. Divinum Ingenium credidisses, ni Seraphicum scires; cui nullum Sapientiæ Arcanum arcanum erat, & nullus Entheus non Enthusiasmus. Dignâ mentis staterâ aurea librando verba, hoc vel maximé docuit, quæ norma boni qui limes honesti. Qvascunquè Sacra Theologia involvebat ambages, ad intima penetravit, penetrando litavit mentibus studentium illustrandis. Non in cassum ad Theologica elevavit mentem, quia semper familiarem Cælitibus fecit; adeo: ut Deum Ipsum in abyssali æternitatis profunditate conveniret, odore Sanctitatis ad convexa Cælorum fumante. Hecatombe Sacratior Divus BONAVENTVRA quoties in Parisiensi suggestu Iuvenibus cessit Professor, toties tôt laureîs stipatus, quot modo scientiæ Lumina adoramus. Tantam suô ingenio Discipulis propinavit Aganippen, ut illorum animi scientiarum fluentîs exuberare viderentur. Edecumatæ sapientiæ Divi BONA-

VENTVRÆ patebat Religioſi Inſulatûs Honoris Templum, ultro ſe Illi ingerebat, ut ſacratiori potiretur Hecatõbê. Alij ad honores præpetibûs non tam currunt qvàm volant aqvilîs; ad BONAVENTVRAM ipſæ dignitates, ipſi honores cumulantur, & Illius emeritæ virtuti ſublimiores acclinant faſces. Vigeſimô tertiô à ſuſcepta Religione annô Miniſterium Generale ſuſcepit, ùt publicæ cõmoditati miniſtrare poſſet. In culmine Religioſæ eminentiæ ſtetit, ut meliùs cunctis in obſequia demiſsum Caput victimaret. Vera ſacræ Religionis Hecatombe; nemini non felix, nemini non proclivis. Omnem ſe communi ſacrificavit fortunæ, ut inde Hecatombe noſceretur. Præſes Capituli Narbonenſis arctiùs ſubeſſe edocturus, humilem Franciſci Regulam Seraphici ſpiritûs entheô effecit clariorem. Non hic ultimus Honoris aſcenſus; ſtipendiarium eſt virtutibus culmen, & Tiara egregijs factis vectigalis. Sũmitatem Theologicam raramq; ſanctitatem advertit in Divo BONAVENTVRA Clemens IV, ſacrum Ejus verticem Inſulâ cinxit, ut Hecatombe magis ad ArchiPræſuleũ

Ebo-

Eboracense Pedum Orbi Cœloq; emineret. Sed votis Superum reluctatus Divus BONAVENTVRA, adventitiô noluit investiri Honore, inquilinô contentus; bene noscens nullũ gloriosiorem, qvàm qvi contempsit & se & gloriam. Nigricantes Togæ magis oblectabant Divum BONAVENTVRAM, qvàm coruscus Præsulum amictus. Nempe adamas absq; annulo adamas, nec virtus indiget subselijs, ut splendorem acqvirat, qvem ex se habet. Suffecerunt Illi sanctiores latebræ, ex qvibus in apricam Gloriæ lucem semper facilè luctabatur. Submove Dive BONAVENTVRA, ut libet illustrissimo Infulæ Iubari Tuum eruditum Caput, si sacram Antistitum Tæniam effugies, Cardinalitius murex Tuos atlanteos induet lacertos. Factum est AA: aspirantibûs meritîs, ad instantiam virtutum & favore Gregorii X. ex Alverni monte in Vaticanam sedem sacratior transfertur Hecatombe. Sublime id qvod capessijt Divus BONAVENTVRA non supra meritorum fastigium est. Stetit ad Rotam Cardinalitiam eâ promptissimus mente, quæ Aris & focis fortunatè respondebat. In

Purpuris Corybantes Panchæa Thura dabant Superis; Divus BONAVENTVRA ideò purpureô decoratus amictu, ut talem Orbis adoraret. Acceptiorem Cœlis probaturi Honores multi in Eum conspirârunt, dum Cardinalitio Galero se se acclinavit Tiara Albanensis. Cruentam hic autumaretis Hecatomben, ut potè in Purpura, sed candor mentis & cordis prævaluit illibatus. Tã summîs auctus Honoribùs Divus BONAVENTVRA, primum Virtutibus tribuit locum; ingenti Hecatombe amoris erga DEVM proximumq; ingens non defuit æstus, universis in Victimam cessit, ut fervida vota leniret. Nescivit contractam manum intra Rotam Cardinalẽ, qvi dilatata habuit spatia charitatis. Illa semper intendebat opera, quæ aut Ecclesiæ decori, aut Pauperum inopiæ profuissent. Centum aras in uno situare loco, hoc apud Antiqvitatem dicere Hecatomben consvetum; Divus BONAVENTVRA solâ sanctitate ac eruditione millenas sibi extruxit aras, dum occidentali Ecclesiæ Orientalẽ vinculato nexu adjunxit. Crevere eloqvio ejus Concilia Lugdunensia, quod-

quodlibet dicentis oraculum fulmen erat, qvô dura Hæresum domata cervix, victricibꝰ Petri plantis extitit suppedanea. Stupebant omnes in illo Consessu post solidatam cum Ecclesia Romana Ritûs Orientalis unionem, non verba sed verborum uniones perorantē. Murex Illi tunc floridioris Eloqvētiæ non defuit, qvē Divinô in CHRISTO Crucifixo sangvine purpuravit. Talē ex emedullato Verbi in Cruce pendentis medullā svadæ libavit, qualē nunqvā in Tulliano fonte famelicô conatu hausisset. Admiratur Angelicus Doctor sublimē Ejus eruditionē, de ministra Cœlestis facūdiæ sciscitatur Bibliotheca, Ille Dei in Cruce pendentis effigiem indigitans, hunc esse Hymettum affirmat, ex qvo succos mellitæ svadæ collegit. In Arbore Crucifixi multùm sacratior adolevit Hecatombe, foliis illā stipavit, ut mortales ex lectione Passionis CHRISTI fructus legerent opimos. De sex Seraphinis ut octo Volumina scripsit, Ipse Seraphicꝰ Doctor pennatâ agilitate qvoslibet Euros in Argonavim Ecclesiæ surgentes superavit, atq; adeo compescuit: ut qvivis adversitatū Aqvilones in Ethesias & Favonios

transſirent gratiores. Pharetrā artificio ingenij ſui effecit, authoritates Doctorū obarmās, ne lædantur,· ex omni ſacratior Hecatombe. Sive eruditis laboribus incubuit Minervā doctiorem colendo; qvæ Ejus capite veriùs qvàm Iovis naſcebatur, ſive ferventiſſimos pietatis exercuit actus, ubiq; ſibi Templum fuit, ubiq; glorioſior Ara. Non me hic ſtupor tenet, qvòd Illum ſub ſpeciebus panis, & vini freqventiùs aliqvando felici timore non auſus accedere, qui in Crucis Ara ſe ipſum pro ſalute Orbis victimavit. Vidit ſibi Angelicîs manibûs Sacratiſsimam porrectam Synaxim, & inde gratior Superis Hecatombe evaſit. Qvomodo non gratior? dum Illū intra ſe tenuit, qvi Cœlum & Orbem tenet. Invidebant Superi terris Hecatombē, ut illā capiant, radiantis Olympi Poſtes aperiunt. Amat Cœlum Victimas, qvod ſi tales ſemper cederent, terræ obligatum maneret. Divus BONAVENTVRA Hecatombe eſt, ſed puriſsima, nam abſq; omni labis fuligine: præſago mentis tripode cōfirmat id Alexander de Ales; qvòd nullo criminis nexu ſuam innodaverat conſcientiam: *Verus Iſràëlita*

in

in qvo Adam non videtur peccasse Talis Cœlestem Hierusalem Hecatombe decuit, qvæ Sphæris nō paradisi sepibûs, Cœlo non solo, unde sydereas derivavit dotes, originē debebat. Victimas, & sacrificia orto sole fieri Pòética commenta narrant; ne sint commēta: noster BONAVENTVRA qvia Soli Iustitiæ in Hecatōben cedebat; die solis é vivis cessit. Meruit tantum holocaustum BONAVENTVRA Dominicum habere diē, exinde solennissima Hecatombe dicendus. Locatur in stellifero Olympo BONAVENTVRA, ad Aram Sanctissimæ Triados Seraphicîs accensus Ignibûs dum clarissimè splendet, Oratoria extingvit lumina, non prætendens eruditā elevari pennā, jam ad sydera sublimatus. Congratulare magnæ felicitati Tuæ sacra Religio, dum Hecatomben Superis gratissimā inter Seraphicos habeas Ignes. Tua inde gloria, Tuum encomium, qvòd dignos Cœlo Genios Orbi demonstres Vniverso. Vos Illos Minoritas veneror, qvorū maximæ virtuti prima honorū Insignia in victimā abeunt triumphalē. Triregia Purpuræ & Tiaræ ultro vobis ingeruntur, Vestrisq;

 me-

meritis ſemper ſublimiùs aſſurgunt. Victimis Numina placantur: Diviniſsime BONAVENTVRA Hecatombe es, placa irritum Tonantem, redde mites Superos; ut Sarmaticus Ales pro pennis pænis ſtipatus ex irruentibus evolet periculis. Regum Filiam Almam, & generalem Studiorum Matrē quæ hodie Tibi Sceptra pro victima ponit Tuo conſerva patrocinio, Omnibus devotis Tibi Cultoribus Cœlorum gratiam imprecare ſanctior HECATOMBE.